34-8-6-6.
33 4

DE SACROSANCTA
ET INDIVIDUA
TRINITATE
ORATIO

QVAM HABVIT

IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO
Quarto Idus Junii Anno M. DCC. LXXXI.

AD SANCTISSIMUM D. N.

PIUM SEXTUM

JULIUS EX COMITIBUS DE CARPINEO
PROTONOTARIUS APOSTOLICUS PARTICIPANS,
PATRITIVS ROMANVS,
ET COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.



ROMÆ MDCCLXXXI.

EX TYPOGRAPHIA CRACAS,
SUPERIORUM FACULTATE.

4

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO
PIO SEXTO
PONTIFICI MAXIMO

VITTORIO

JULIUS DE CARPINEO
FELICITATEM


N*Emo quidem*, BEATISSIME PATER, *me assentatorem putabit, si, quod in Deo Uno, ac Trino coram Te nuperrime demonstravi, triplicis conditionis nostræ imaginem contineri, illud ad Te ipsum debita cum discriminis ratione transtulero, Tibique Parenti vere omnium amantissimo hujus nostræ, qua fruimur, felicitatis causam, ac firmamentum inesse affirmavero. Quod enim omnes et sentiunt, et palam prædicare solent, ac gestiunt, illud profecto vel*

Digitized by Google

ipsa veritas sentire, eademque fidei, ac benevolentiæ vocibus exprimere censenda est. Quare gaude tua iſta tam liberali natura, et moribus tuis; ex quo maximus in Christianum Populum, tum præcipue in Subditas tibi gentes Pacis, jucunditatisque fructus omnimode derivatur: dumque excellentis nostri boni recordaris, hoc simul cogita, quo te studio, qua caritate, quibus, ac quam impensis grati animi significationibus omnes, et singuli proſequantur. Quod cum de cæteris judicare, ac pro certo habere jure meritoque debes, tum de nobis potissimum dubitare nullo modo potes, qui pro litterariæ Palestræ ratione Tuis præsertim auspiciis innixi, præclaris, ac sane multis beneficentiæ Tuæ monumentis gloriamur. Reliquum illud erat, ut, quam pro naturæ Tuæ benignitate libenti animo excepisti de Trinitatis Mysterio Orationem, eam Tibi, utpote quæ imaginem Tui referens Tua est, devoverem, ac sisterem; quod dum in genua provolutus facio, tum Te oro, atque obsecro, ut in me, sodalesque meos Apostolicæ Benedictionis Thesauros effundas.

ORA-

)o(V)o(



ORATIO

DIvinæ ſalutis humanæ Myſteria, Beatissime Pater, anniverſaria Solemnium ſucceſſione recolentibus nulla, mea quidem ſententia, ſive ſanctior, ſive utilior, ſive re ipſa jucundior illuceſcere nobis poterat dies, quam quæ Augustissimae Trinitatis titulo, peractorumque diſpenſationis æternæ Myſteriorum memoria decoratur. Abſolutam porro diei ſanctitatem efficit vel idem occurrens animo Deus Unus, & Trinus, quo Divinorum Sacramentorum ſumma concluditur: Utilitas vero ejuſdem eximia ex illo petitur, quod ex cognitis Perſonarum proprietatibus, & operationibus, incolumitas profecto nobis perpe-

tuo conſtituta dignoſcitur: hodiernæ autem luci quis, quæſo, potiſsimam obtrectet jucunditatem, quæ ſempiternæ hominum beatitudinis pignore, divino quaſi inſignita lumine, effulget? Quare in hanc quidem diem, cæteris prætermiſsis, intendamus animum; hic, inquam, hæreamus; hic de rebus ad nos maxime pertinentibus Trinitatem ipſam humillime conſulamus: Non enim dubito, quin in divinis Perſonis exactæ, præſentis, futuræque conditionis noſtræ teſtimonium, expreſſam veluti imaginen, intueamur. Hunc autem ejuſmodi perpenſationis fructum nobis omnibus impertiatur Trinitas, ut, fide exercita, ſpes augeatur noſtra; eademqne caritatis ſuæ igne incenſa, atque erecta, in ipſomet caritatis fonte, qui Deus eſt, tandem aliquando conquieſcat.

Nequeo rerum omnium, tum viſibilium, cum inviſibilium, ipſiuſque Æternæ generationis Principium, Deum ſcilicet Patrem, cogitare; nequeo, ex iis, quæ Tribus Perſonis communia ſunt, attributam Patri abſolutiſſimam poteſtatem concipere; nequeo univerſitatem rerum uno Patris imperio in pondere, ac menſura ſubito prodeuntem reminiſci; quin animo vel imprimis occurrat Adam, quem cum nomino, opus longe omnium præſtantiſſimum, ac pæne divinum intelligo. Non enim in rebus creatis quidquam illo perfectius inveniri, aut excogitari poteſt, qui facultatibus, ornamentiſque animi opificiſmet

Digitized by Google

met Patris ſpeciem propemodum referre videatur. Immo vero haud impudens videri timeo, ſi temporalem Adæ creationem cum æterna Verbi geneſi, quatenus conferri poteſt, comparandam exiſtimem: quod enim Verbum proprium, ſempiternumque habet in ſe, ut *Splendor* ſit *gloriæ*, *ac figura Subſtantiæ* Patris; illud a Deo Patre recepit Adam, ut ad auctoris ſui ſimilitudinem conderetur. In hoc autem Progenitoris ſtatu quis non univerſam liberorum progeniem divinitus præſignatam, ac præſtitutam intelligat? Fuimus, fuimus quondam in integro, beatiſſimoque Parente innocentes, juſti, ſapientes, beati, immortales, denique ejuſmodi, qui Conditoris Dei potiſſima præ cæteris cura, atque benevolentia frueremur: quæ omnia niſi nos ipſi in Ada extitiſsemus, niſique voluntas noſtra cum illius voluntate implicita cohæſiſſet; haud profecto, Ada perduellionis reo, peccati maledictum, & pæna in omne poſterorum genus miſerrime dimanaſſet.

At enim lapſis obviam fit miſericorditer Dei Filius, erectoſque a peccati cæno non modo ad ſtandum confirmat, verum etiam ad currendum, ſupernam ſcilicet Patriam magnis, diuturniſque itineribus recuperandam, corroborat. Jam hinc in Filii miniſterio noſtræ prorſus conditionis imaginem intuemur. Quid enim nobis miſerius dici poteſt, qui ad ſumma quæque privilegia, atque ad ipſam cum Patre immortalitatem, ac beatitudinem procreati, eo per peccatum

Digitized by Google

tum devenimus, ut ornamentis omnibus Gratiæ, naturæque prærogativis exuti, ac Deo ipsi invisi, & infensi, perpetuis malæ conſcientiæ ſtimulis, parat æque gehennæ terroribus concutiamur? Quid autem miſericordius Dei Filio, qui, ſive quod ammiſſum ſemel perpetuo lugemus, ſive quod pro criminum ratione jam nobis reformidamus impendens, alterum a nobis removet, ac propulſat, ad alterum vero aditum quoque nobis oſtendit? In quo quidem, qui eſt per ſe Sapientia, ſapientiſſimus idem emicat, & excellit: idoneam ſiquidem, percommodamque nactus eſt rationem, qua ſimul divinitatis jura vindicarentur, ſimul humano generi ſalus, ac beatitudo conſiſteret. Neque enim Mediator alter hæc duo inter ſe maxime oppoſita ſociaſſet, niſi qui, & per divinitatem poſſet, & per ſuſceptam ultro humanitatem deberet reipſa pro hominibus ſatisfacere: quod cum in duplici natura unus præſtiterit Jesus Chriſtus, jam tum ab interitu ad vitam, ab odio ad amorem, a gehenna ad gloriam traductos nos eſſe recognoſcimus. Quare quis neget, in Filio Dei maximum, certiſſimumque hujus noſtræ conditionis pignus, ac teſtimonium ineſſe? Sumus quidem liberi; qua libertate Chriſtus nos liberavit: Sumus dilectionis Filii; quo ſcilicet amore ipſe prius dilexit nos: Populus acquiſitionis ſumus; quo nos ſemel ſanguine acquiſivit. Ita neque nos ipſos propemodum reminiſci poſſumus, quin noſtri

ſimul

ſimul ſtatus animo ſuccurrat Auctor; neque Dei Filium cogitare, quin id, quod ſumus, quodque nos futuros ſperamus, uni ipsi acceptum, derivatumque referamus.

Quamquam autem, non nisi per Chriſti Gratiam, quæ per caritatem operatur, ſalutem conſequi nobis liceat; quod tamen Paraclitus, qui Caritas reipſa eſt, ipſiuſmet caritatis auctor, ac diſtributor dignoſcitur, beatæ proinde conditionis noſtræ imaginem in Spiritu Sancto jure meritoque ſuſpicimus. Huc vero illud vel maximum accedit, quod, cum Comprehenſorum ſtatus perfectio caritatis ſit, ejuſdemque continuata poſſeſsio; qui Beatorum ſtatum conſtituit Spiritus, illius profecto ſtatus fidem nobis facere cenſendus eſt. Quid, ſi Comprehenſorum beatitudo ipſam Spiritus Sancti, quoad fieri poteſt, proceſsionem imitetur? Quidquamne præterea deſiderabimus, ut futuræ conditionis noſtræ Teſtis verus, ac certus Paraclitus habeatur? Derivatur enim Paraclitus ex mutua Patris in Filium, Filiique in Patrem benevolentia: rapitur vero caritate comprehenſor in Deum; Deus porro ſe ſe illi conſpiciendum, amandumque perpetuo permittit. Hinc omnis profecto beatitudo: ex hoc divinitatis fonte æternæ vitæ aquas hauriunt Comprehenſores. Tametsi, quorſum rei tam perſpicuæ a Comprehenſorum ſtatu petimus argumenta, cum & viatorum ſtatus id nobis ultro perſuadeat? Cum enim in Gratiæ ſuavitate,

qua

Digitized by Google


qua viatores refecti, roboratique ad Deum ſtudioſe contendimus, nobis non præſentem modo, ſed plane inhabitantem animo Spiritum Sanctum ſentiamus; quid tandem in ipſa manſione futurum putemus, cum nos perenni perfectæ Caritatis æſtu exundantes, Deumque non in Ænigmate, ſed facie ad faciem contuentes, torrente deificæ voluptatis potabimur? Recte igitur de futura hominum conditione Paraclitus perhibere teſtimonium dicitur, qui conſiſtentem in Patria beatitudinem per se ipſe conſtituat.

Quare, quid fuimus, quid ſumus, quid erimus, jam ex Divinis Perſonis cognoſcimus. Fuimus quidem in patre innocente innocentes, beati, immortales: pudeat ex tot privilegiis excidiſſe; pro innocentia vero juſtitiam per pænitentiam conſectemur. Sumus *pretioſo Sanguine quaſi Agni immaculati Chriſti, & incontaminati* ex Tartarorum faucibus erepti, Deoque Patri reconciliati per Filium: caveamus porro, ne tanto ſalutis pretio per opera veteris hominis abutamur. Erimus tandem *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; quo in ſtatu *revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem* transformabimur *a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu*: hoc vero cum timore, & tremore recogitemus, qui ſocii Paſſionis Chriſti fuerint, eos ſolos & Reſurrectionis, & gloriæ futuros. A qua tandem ſollicitudine liberet nos

Spi-

Spiritus Sancti Gratia; & quorum ſemel incolere corda cæpit, eos ſibi perpetuo certum domicilium efficiat in Gloria.

FINIS.



Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Si videbitur R̃mo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marcucci Epiſc. Montis Alti ac Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Bruno Thoma Ord. Prædicatorum R̃mi Patri Magiſtri Sac. Pal. Apoſt. Socius.

Digitized by Google